



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XXII. Privignus tyrannicida.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

sunt, sed in omnibus pectoribus incisa sunt: in oculis, in animis, in ipsis denique tuis manibus. Tu victoria clarus es, ille innocentia.

## XXII.

*Privignus tyrannicida.*

TYRANNICIDÆ PRÆMIUM. PRÆMIO CEDERE LICEAT.

Qui novercam habebat, occidit tyrannum: cessit novercæ præmio: illa privigni nuptias petit. Contendant quis contradicat, maritus, an privignus.

## PRO MARITO.

Cum suo parente contendit, ut mihi videatur melior adhuc privignus esse quam filius. Cœpit & hic me sic habere despectui, ut qui novercæ beneficium se dedisse lætatur, à me nec accipere dignetur. Ego primus in domo mea, fateor, erravi: qui uxorem duxi senex, cum jam esset in domo filius, & quidem juvenis. Dum nimium confido pietati, oculos mulieris incestos, & infanda desideria nutrivit. Novercæ præmio cessit, cum haberet in domo patrem, cui nemo præferret in tali honore vel matrem. Non privignum ante tentarat? quis, rogo, fructus est, impetrare nuptias hominis invicti? Uter vobis actor utilior videretur & verior, maritus an cœlebs? filius familias, an pater? senior, an juvenis? qui repudiatur, an qui præponitur? qui beneficium dedit, an qui accepit injuriam? mea uxor abducitur, tu quis es? meum cubile deseritur, ad te dolor iste quid pertinet? Ego, inquit, præmio cessi: tu ergo non potes revocare quod dederis, eamque reprehendere, quam paulo ante laudaveris. Cavendum tibi est, ne si victus (ut sunt judiciorum incerta) discesseris, dicaris judicio quoque sic cessisse quasi præmio. Sic est livoris ingenium, omnia suspicantur, qui nihil audiunt. Das amanti solatium: affers in amore vel jurgium.

## XXIII. Pere-